

s. Act. 15. 36.

nabas Antiochiâ discedentes, ad Gentes concionibus erudiendas perrexere (1). Hæc utique rerum, quæ in Actis, & in Epistolâ ad Galatas recensentur, constitutio, neque à temporum ordine, neque ab historica veritate nonnihil discedit. Quare argumentum inde deductum de absentia Petri Antiochiâ, per se ipsam infirmatur, & profus evertitur.

Absurda, quæ sententiæ Petrum à Paulo redargutum defendenti tribuuntur, nihil profectò faciendâ. Petrum tunc fuisse impeccabilem nemo unquam dixerit; Pontifices autem ejus successores peccandi potentia expertes se nullatenus ostentant. Petrus fragilitatis peccato deliquit; optimè verò de iis, quæ cum Apostolis in Concilio Jerosolymitano decreverat, semper sensit: legalia tum quoque interius improbens, nulli errori pertinaciter adhæsit, & à Pauli mente ne in minimis quidem discrepavit.

Nulla igitur in Petro hæresis labe, nil prorsus, quod Apostolorum Principem, successoresque Pontifices injuriâ nimium contumeliosâ afficiat. Tum Petrus de iis, quæ sui simulatione induci poterant, non cogitavit: Paulus mentis aciem ulterius defixit, & futura veritas ad Petro exprobandum animos sibi adjecit. Paulus sanè reprehendit Petrum, inquit Tertullianus (1), non ob aliud tamen, quam ob inconstantiam vitium, quem pro personarum qualitate variabat, non ob aliquam divinitatis perversitatem. Petrus ei indulgentiæ concessit, quæ vel ab honestis aliquando abstinentum suadet, ne debilibus offensionem fruatur. Paulus verò ea prospexit, quæ Fideles ad Legalium necessitatem comprobendam à Petri exemplo fortè exhausissent.

Quòd verò Petrum impeccabilem non fuisse fateamur, non idcirco dogmata, vel quæ docuerit, vel quæ scripserit, infallibilia non esse, & veluti ipsius verba non accipiendâ, jure merito inducitur. Christus enim, qui Apostolos misit, Spiritu suo perfudit, eorumque doctrinam plurimis miraculis comprobavit; per eisdem, dum suo nomine verba facerent, se quidem loquutum (u) pollicitus fuit; non verò ab omnibus profus peccatis, præsertim à minimis, se eos vindictarum sponndit.

Argumentum inde depromptum, quòd intra paucas lineas in Epistola ad Galatas bis Petrus (x), deinde statim (y) Cephas appellatus fuerit, omnium profectò infirmisimum arbitramur. Duobus nominibus præditus eadem fortè paginâ decies hoc, decies illo nequeat appellari? Petrus sanè tribus nominibus, Simone, Petro, & Cepha, vocabatur. Licèt autem Paulus Cepham ibi non præponat Jacobo, sed Jacobum inter & Joannem medium constituat, non idcirco obsequio defuit, aut Apostolorum Principis dignitatem dimittit. Eo enim loco de ejus Primatu nulla quaestio. Sacri præterea Authores, sicuti & vulgares Scriptores, eorum, quorum meminerint, dignitati non ita adhærent, ut interdum non supponant præfe-

Tertull. l. 5. contr. Marcion. c. 3.

u. Matth. 10. 19.

x Galat. 2. vers. 7. & 8. y Galat. 2. vers. 9. 11. & 14.

rendos, & supponendos non præferant, præsertim si aliquâ lege nil cautum fuerit. Apostoli interdum Christum ante Deum Patrem memorant (z). Paulus Priscam sæpè ante (a), sæpè post Conjugem ejus Aquilam locat (b). In Genesi Sem Noe filius semper præponitur, tametsi eorum secundus verosimilius fuerit. Moyses Aaron, licèt natu minor, præfertur. Veterum Conciliorum extant Acta, in quibus plures juniores Episcopi ante seniores subscribunt. Hæc satis, ut iis locis omnibus, quibus nominum ordo invertitur, occurramus.

S. Chrysostomus in eadem, quam supra attulimus, suâ autoritate [c] satis objectionem occupavit, quæ ab eo Acto- rum loco ducitur, ubi hæc leguntur: Ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem; ac si Petro, seu Cephæ cæterisque Judæis, qui Petri imitatores à Gentium consuetudine discesserant, ipse Barnabas major extitisset. S. Lucas inter Petri & Barnabæ dignitatem minimè fecerit, sed præcipuum Barnabæ munus perpendit, cujus, quòd Pauli socius esset, præviribus Gentes Legalibus minimè subjiciendas defendere omnino intererat, cum eorum uterque Gentium Apostolatu potissimum fuerint mancipati.

S. Paulum autoritate quadam S. Petro acriter exprobrasse, haud equidem superbiæ, & procacitati tribuendum, imò verò ejus maximo veritatis amoris, & metui jure gravissimo, ne Principis Apostolorum exemplo Antiocheni Fideles Circumcisionis, Legaliumque necessitatem tenerent. Quòd quidem & Augustinus (d), & Magnus Gregorius (e) dilucidè exhibuere, ut nos supra attulimus.

Qui apparitionem, qua Christus se videndum exhibuit Cephæ, aliam putant ab ea, qua se obtulit Simoni, seu S. Petro, Evangelistarum Textui adversari videntur. Refert S. Lucas (f) duos Discipulos ab Emmaus Jerosolymam regressos esse, ut undecim Discipulis, quæ sibi in itinere venerant, enunciant; quibus Apostoli de Domini, qui apparuerat, resurrectione se conscios esse asseruere. Cum verò duo itinerantes Apostolos adhuc alloquerentur, Christus Dominus omnibus se spectandum præbuit. Hoc sanè innuit Paulus, asseverans Christum visum esse Cepha, & post hoc undecim [g]. Quare hunc Apostoli locum veram hic S. Lucæ interpretationem habendum arbitramur. Quâ horâ Christus Petro apparuerit, incertum; ei verò apparuisse, antequam undecim Apostolorum coetui se exhiberet, exploratum. Lucæ Evangelium à D. Paulo ut plurimum allegari, meritò hic animadvertendum ducimus.

Quòd Tridentinum Concilium Vulgatam probaverit, non continud tamen reprobat se censendum est Textum Græcum, & Authores Veteres, qui eundem adhibere; nec inde pariter consecrassè suspicemur errores, qui vel in Latina Versione cum Originalibus collatâ offendi queant; sicut nec vicissim Vulgatam ipsam ad Originalium, quæ extant, normam semper componendam

z Galat. 1. 2. Sed per Jesum Christum & Deum Patrem. 1. Jo. 2. 24. In filio & Patre manebitis. a Rom. 16. 3. Salutate Priscam, & Aquilam. Ita 2. Timoth. 4. 19. Vide & Act. 18. 26. b 1. Cor. 16. 19. Act. 17. 2. c Chrysost. tom. 5. pag. 719. 720.

d Augus. Epist. olim 8. nunc 28. Item Epist. 40. & 71. & Greg. Mag. l. 12. Moral. c. 12. hom. 13. in Execliel. f Luc. 24. 34.

g 1. Cor. 15. 5.

dum voluisse. Ea omnia cognitionem & prudentiam quam maximam sibi expoſtulant. Illud sanè constat; quòd Ecclesiæ priorum Textuum autoritatem aut infirmare, aut evertere nunquam voluerit; aliàs se ipsam oppugnasset, & Versionum omnium, quæ ab eisdem exhaustæ sunt, fidem infirmavisset. Authentica & Canonica quæcumque fuerit Versio, Versio semper reputabitur; Originale verò semper Originale haberi non desinet (h). Nunquam eò adducemur, ut Patres, qui Petrum pro Cepha legerunt, & veteres, recentioresque Interpretes, qui Cepham pro Petro accepere, ab Ecclesiâ improbatos esse suadeamur. Ita enim fieret, ut eadem Ecclesia olim respiciisset, recensque eam respiceret Doctorum, sui que fautorum partem, quæ cæteris & pietate & scientiâ præstat, omnibusque Ecclesiæ sæculis ab eadem, quam prætulimus, lectione non discessit.

Si Religionis Catholicæ hostes, veluti Porphyrius; si veteres & recentiores Hæretici; si ii, qui S. Sedis autoritatem infirmare conantur, hujus Dissertationis loco abusi sunt, ne demiremur: ubi enim Scripturæ textum invenire fuerit, quòd impii, & hæretici improbè & perversè non corruerint, & usu iniquo non exeruerint (i)? Donec eidem, cui nos, hujus loci interpretationi adhererint, eo nunquam abusuros pollicemur. Catholica & Romana Ecclesia nunquam sibi suasit, Pontifices sibi à Deo constitutos iis quotidianis erroribus expertes omnino abire, in quos, infirmitate humanâ impellente, vel majori lumine & sanctitate donatos sæpè prolabi ultro fatemur.

In exordio Epistolæ ad Galatas nostram de iis conjecturam præposuimus, adversum quos Paulus Apostolatam suam stabilis, Apostoli dignitatem, nullo aliorum ministerio interposito, ab ipsomet Christo sibi collatam extollit (k). Petrum non eum Cepham, quem ex septuaginta Discipulis unum voluit, in Galatia concionatum arbitramur: quod utique per suam

Epistolam ad dispersionem Ponti, Galatiæ, Cappadociæ &c. satis superque præfertur. Paulus seu ante, seu post Petrum, ad Galatas conciones habuit; cum verò, postquam & Petrus & Paulus inde discesserant, quidam Petri Discipuli eò pervenissent, Paulo obloquentes, hominem auctoritate, & missione destitutum, Legis everforem, & Doctrinæ, quæ à cæteris Apostolis longè aberat, Præconem appellabant. Quare hic Apostolus, ut os eisdem obstrueret, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, verum Apostolum se ostendit.

Apostolus præterea, quin Cephæ, seu Petri, cujus iidem Judæorum Præcones dignitatem & auctoritatem evehere satagebant, Primatum, & Principatum nulli utique discrimini obnoxium tangat, nihil ab eo accepisse, suamque Doctrinam & Apostolatam ab ipso Cephæ, & à præclarissimo Jerosolymæ coetu comprobatum præfert. Ideo igitur Petri Primatum in Epistola ad Galatas Paulus non extollit; non quidem quòd Apostolorum Principem minimi faceret, vel contemptui haberet, sed quòd dumtaxat ejusdem primæ Dignitas à nemine in dubium, incertumque revocaretur.

Hic tandem Dissertationem absolvimus, qua satis ostendimus, Cepham Antiochiæ à Paulo redargutum à Petro alium nequam fuisse; nullum argumentum proferri, quo Cephas ex septuaginta Discipulis unus, & ab Apostolorum Principe alius constituarur; S. Petri simulationem ejus Primatui minimè officere; S. Pauli exprobrationem Porphyrio, aliisque Catholicæ Religionis hostibus nullatenus favere; à temperamento, ad quod, Petrum & Paulum excusaturi, veteres Græci Patres confugiunt, plurima posse perabsurda induci; sententiam denique, cui Augustinus adhæsit, omnium optimam & accommodam esse, ut Apostolum utrumque excusemus, & Catholicam Religionem ab hostium suorum exprobrationibus eripiamus.

h Vide Augus. l. 2. c. 15. de Doctr. Christi.

i Hieronym. in Galat. 2. Si propter Porphyrii blasphemiam alius nobis fingendus est Cephas, ut Petrus putetur errasse infinita de Scripturis erunt radenda divinis, quæ ille, quia non intelligit, traminatur. k Galat. 1. 1.